



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

23. An, & quando Archiepiscopus constituere possit Vicarium generalem in  
diæcesibus suorum Suffraganeorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

*Questio 22. Num quoque Cardinales (intellige non Episcopi) in Ecclesiis sui tituli creare possint Vicarium generalem?*

**R**espondeo affirmativè; habent enim ibidem hi Cardinales jurisdictionem Episcopalem. Sbroz. l. 1. q. 3. num. 22. videntur tamen hi Cardinalium Vicarii dici posse Vicarii quasi Episcopales, seu adinstar Episcopaliū, propter jurisdictionem, quam vice suorum principalium seu Cardinalium exercent quasi Episcopalem. Num verò dici possit, habere hos Vicarios jurisdictionem ordinariam, & idem cum suis Principalibus tribunal, sicut habent Vicarii Episcopales generales, meritò dubitari potest; cum nihil quò ad hoc de iis in jure dispositum inveniatur. Habent quoque & constituunt hi Cardinales Officiales suos & Vicarios Ecclesiarum ac Monasteriorum, qua per eos in commendam, vel ex alio titulo possidentur; C. de Luca in miscell. d. 23. num. 12. ubi etiam, quod Vicarii isti Cardinalium non sint eorum familiares in ordine ad regulas Cancellariae pro reservationibus Apostolicis, & pro Jure Cardinalium in nominationibus.

*Questio 23. An & quando Archiepiscopus constituere possit Vicarium generalem in Diocesis suorum Suffraganeorum?*

**R**espondeo primò: Praescindendo à casu devolutionis ob negligentiam Episcopi, id non posse Metropolitanos. Siquidem canones prohibent Archiepiscopis ingressum Diocesis Suffraganeorum suorum, ut ibi auctoritate propria judicent, aliudve agant. Sbroz. l. 1. q. 63. num. 1. juxta C. Romana de off. vicar. in 6. Unde neque constituere possunt in Suffraganeorum suorum Diocesis Officiales seu Vicarios foraneos pro incipiendis vel cognoscendis contrahibus coram illis, aut ad faciendas citationes & inhibitiones in causis appellationis à dictis Suffraganeis ad ipsum Archiepiscopum devolvendis, etsi in causis jam devolutis vices suas alteri committere possit Archiepiscopus in Diocesis suorum Suffraganeorum. Sbroz. loc. cit. à n. 2. juxta quod haec omnia disponuntur in cit. C. Romana. Sane à fortiore hinc sequitur, non posse Archiepiscopum in dictis Diocesis constituere Vicarium generalem Episcopi, seu committere ei universitatem causarum spectantium ad jurisdictionem dicti Episcopi.

2. Respondeo secundò: Ubi tamen Episcopus negligeret constituere Vicarium, ubi ad hoc teneretur, potest & debet Metropolitanus praefigere illi terminum ad constituendum Vicarium, quo elapso, si non constituat, ipsemet Metropolitanus Vicarium constituet, vel Episcopum ad illum constituendum cogere potest. Pirh. loc. cit. citans Ugolin. d. offic. Episc. p. 1. c. 4. §. 6. num. 2. Sbroz. l. 1. q. 46. num. 4. & exactius q. 57. per tot. citans C. cum sumus. q. 9. 3. ubi dicitur; si Episcopus non satageret statuere Oeconomum in sua Ecclesia, Metropolitanus eum constituere potest; accipiendo Oeconomum pro Vicario; & c. nova 16. q. 7. Item Trident. c. 16. sess. 24. & pro dicta practica seu modo in hoc procedendi praefigendo terminum citat. Abb. in C. quoniam. de off. Ordinari. n. 4. Cuch. Instit. Juris can. de Vicar. tit. 8. num. 13. l. 2. & num. 39. Quod si verò Ecclesia sit exempta seu subiecta Metropolitanò, Episcopo illius negligente constituere Vicarium, non Metropolitanus, sed propinquior Episcopus in ea

deputabit Vicarium. Et si ipse Metropolitanus in sua Ecclesia negligat constituere Vicarium, eum constituat antiquior ex Suffraganeis, Sbroz. l. 1. q. 58. citans Cuchum ubi ante citat quoque Trident. sess. 24. c. 16. verum illud loquitur ibidem tantum de Capitulo Sede vacante negligente constituere Vicarium. Videtur tamen id à pari procedere in Episcopo Metropolitanò vel exempto, negligente constituere Vicarium, dum ad hoc tenetur.

*Questio 24. Num Administrator Episcopatus, qui quandoque ei à Papa dari solet, constituere possit Vicarium generalem?*

**R**espondeo affirmativè; Quia succedit in ordinaria jurisdictione Episcopi, & aequiparatur quò ad potestatem Capitulo Sede vacante. Pirh. ad in. de off. vicar. n. 29. in fine. Num verò Administrator Episcopatus datus Episcopo vivente, v. g. quia hic est adhuc in minore aetate, &c. substituere possit Vicarium generalem, dubitatur. Videtur id posse, quia gerit jurisdictionem & potestatem ordinariam Episcopi, qui id potest.

*Questio 25. An Capitulum Episcopo vivo absente vel negligente Vicarium possit constituere?*

**R**espondeo: Sive Episcopus sit negligens in constituendo Vicario, sive sit absens, eo refragante Capitulum non posse constituere Vicarium asserit Sbroz. l. 1. q. 59. ex Bero. conf. 23. à n. 4. ad finem usque vol. 1. Quod imprimis certum est de Episcopo negligente; quia in eo casu jura statunt modum alium supplendi hanc negligentiam, citra quod dicta constitutio Vicarii devolvatur ad Capitulum juxta dicta quest. praeced. verum in casu absentiae dicitur, v. g. Episcopo ducto in captivitatem, aut versante in remotis, Vicario illius, quem ipse constituerat interea mortuo, videtur dicendum contrarium; cum enim in utroque illo casu administratio Diocesis devolvatur ad Capitulum, quemadmodum fit sede vacante (in illis enim casibus Ecclesia quasi vacat) juxta dicenda in seq. q. 3. potest constituere Vicarium, penes quem sit jurisdictionis exercitium seu administratio. Vide dicenda quaestione post hanc 2. De cetero, ut dicitur alibi, iste Vicarius à Capitulo tunc constitutus, dicendus non erit propriè Vicarius generalis Episcopi, sed Capituli, & Vicarius generalis jurisdictionis Episcopalis.

*Questio 26. An à Papa quoque soleat quandoque constitui Vicarius generalis Episcopi?*

**R**espondeo affirmativè. Pignat. To. 10. consult. 129. num. 6. ubi etiam ex Paris. consil. 80. num. 22. l. 4. Sanch. de matrim. l. 3. d. 31. quòd Vicarius ille Episcopalis à Papa constitutus, majorem habeat facultatem, praesertim in substituendo sibi alium, quam Vicarius generalis ab Episcopo constitutus. Et ex Gratian. discept. for. discept. 106. n. 29. ac 30. & discept. 111. n. 56. quòd iste Vicarius Episcopi à Papa constitutus habeat omnes qualitates, quae ipsi Episcopo insunt, & propterea sit aequaliter honorandus, & quae sit differentia inter utrumque remissivè ad gratiam. Quà verò de causa statuatur talis Vicarius à Sede Apostolica, quamque jurisdictionem habeat respectivè quò ad Episcopum, & qualiter ab eo sit immovibilis, dicitur q. seq.

Quae